

quo Paulus ibi ostendit sacerdotium Christi excellere Aaronicum, esse, quia multa sacrificia legalia non potuerunt perfectam sanctitatem conferre, *Christus autem una oblatione consummavit sanctificatos*; hoc autem discrimen maxime cernitur in sacrificio cruento, et ideo non oportuit tunc mentionem facere sacrificii incruenti, quod sæpius in Ecclesia offertur, quanquam illius iterata oblatio nihil deroget perfectioni sacrificii incruenti, quia in re oblata idem est sacrificium, quod diverso modo offerendi iteratur, non ut aliquid virtutis ipsi sacrificio accrescat, sed ut illius efficacia nobis applicetur.

17. *Objectio.* — *Responsio.* — Una sola superest objectio; quia, si Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, solum propter repræsentationem, eadem ratione poterit dici sacerdos secundum ordinem Aaron, quia per legale sacerdotium, Christi sacerdotium, et per sacrificia legalia, sacrificium Christi cruentum repræsentata sunt, ut constat ex Paulo, ad Heb. 9 et 13. Respondetur negando consequentiam, quia non sufficit quæcunque præfiguratio vel repræsentatio, ut Christus dicatur esse sacerdos secundum illum ordinem; primo, quia quod ad rem ipsam spectat (ut supra dictum est) non potest quis dici sacerdos secundum ordinem Aaron, nisi sit de stirpe ejus, et cæremoniis in ea lege statutis ordinatus, quæ non possunt in Christum convenire. Deinde, quod ad repræsentationem attinet, sacerdotium Aaron erat imperfectum et temporale, et præfiguravit Christum secundum statum vitæ passibilis: at vero Melchisedech fuit typus Christi secundum omnes perfectiones sacerdotii ejus, unde sacrificia legalia tantum figurabant cruentum sacrificium Christi, per quod erant consummanda et abolenda, sacrificium vero Melchisedech præfiguravit sacrificium Christi eo modo quo in æternum erat duraturum, vel in Ecclesia militante, in qua semper Christus est principale offerens, et erit quamdiu mundus durabit. Propter quod dici potest *sacerdos in æternum*, seu *in seculum*, ut habet littera hebræa. Vel certe, quia etiam in Ecclesia triumphante per æternam commemorationem et gratiarum actionem officium sacerdotis exercebit. Quocirca, sicut lex scripta legem gratiæ præfiguravit; quia tamen imperfecta fuit, et per legem gratiæ abolita, non potest lex gratiæ dici esse secundum ritum legis veteris; ita, quamvis sacerdotium legale Christum figuraverit, tamen quia imperfec-

tum fuit, et per Christum abrogatum, non potest dici Christus sacerdos secundum illum ordinem; at vero lex naturalis non fuit abrogata per Christum, sed confirmata, aucta et perfecta. Et ita sacerdotium etiam Melchisedech, quatenus erat legis naturæ, non fuit proprie per Christum ablatum, sed ad perfectiorem modum elevatum; quæ tamen perfectio tota in illomet præfigurata fuit, et ideo optime dicitur Christus sacerdos secundum illum ordinem, quia in se habuit quidquid perfectionis in illo fuit, tam formaliter quam repræsentative.

DISPUTATIO XLVII.

In duas sectiones distributa.

DE POTESTATE EXCELLENTIÆ CONVENIENTE CHRISTO RATIONE SUPREMI SACERDOTII, EJUSQUE SPIRITUALI REGNO.

Sacerdotis munus præcipuum quod sit. — Cum, teste Paulo, sacerdos medius sit inter Deum et homines, duo præcipue ad illius munus spectant: alterum, per habitudinem ad Deum; alterum, per habitudinem ad homines. Debet enim Deum colere, orare, et uomine totius populi sacrificium ei offerre, vel in expiationem delictorum, vel in gratiarum actionem, et cultum illi ut primo principio debitum, vel denique ad nova beneficia impetranda. Debet præterea populum de rebus ad cultum Dei, et salutem animæ pertinentibus docere, et instruere, ac sanctificare, juxta modum sacerdotii, et potestatem sibi a Deo datam; et eodem modo ad sacerdotem pertinet gubernare populum sibi commissum, et per convenientia media dirigere ad destinatum finem, qui est Dei cultus, et animarum salus. Ac denique iudicium ferre de rebus ad eundem spirituales finem pertinentibus, juxta potestatem sibi datam, ut dictum est; quia, licet non omnibus sacerdotibus omnia hæc convenient, simpliciter tamen pertinent ad sacerdotale munus, et præcipue talis potestas invenienda est in principali sacerdote, in quo tota sacerdotalis virtus eminenter continetur. Quoniam ergo in præcedenti disputatione satis dictum est de sacerdotio Christi per habitudinem ad Deum, et de modo ac ritu quo illi sacrificium obtulit, quibus etiam adjungi possunt quæ supra de oratione Christi dicta sunt, ideo consequenter sequitur, ut breviter aliquid dicamus de hoc sacerdotio in ordine ad homines, et de spirituali potestate

Christi ad regendam Ecclesiam, ut supremi illius Pontificis, et spiritualis regis. Quoniam vero de doctrina Christi, et de potestate ad iudicandas animas infra D. Thomam disputat propriis locis, quamvis illa revera ad sacerdotem pertineant, illa nunc omitemus, dicemusque solum de potestate quam Theologi vocant excellentiæ, et de potestate legislativa.

SECTIO I.

Utrum Christus, tanquam Summus Ecclesiæ Pontifex, et spiritualis Rex, potestatem excellentiæ super illam habeat.

1. *In Christo potestas excellentiæ in universam Ecclesiam.* — Dico primo: Christus Dominus, in quantum summus sacerdos, habuit supernaturalem quamdam excellentiæ potestatem in universam Ecclesiam. Hanc conclusionem docent omnes Theologi, in 4, dist. 1, et colligitur ex D. Thoma infra, tota q. 59, et clarius 64, art. 3 et 4, et quoad rem ipsam est de fide, ut patet ex Matth. ultim.: *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Et explicatur breviter ex usu et actibus hujus potestatis; nam imprimis ratione illius potuit Christus Dominus spirituales Republicam condere, scilicet Ecclesiam suam, et modum quo gubernanda et regenda erat, ordinare, superiores eligere, et jurisdictionem illis dare, et similia, quæ omnia constant ex Evangelio, Matth. 16: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni celorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in celis;* quæ omnia verba continent actus supremæ potestatis, quibus similia sunt in c. 18; et Joan. 21: *Pasce oves meas,* et c. 20: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* etc.; unde Paul., ad Ephes. 4: *Unicuique, nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi;* et infra: *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas,* etc., usque ad illud, *In ædificationem corporis Christi,* id est, ad rectam Ecclesiæ gubernationem et profectum; et similia habet 1 ad Cor. 12, et 2 ad Cor. 13: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis;* et infra: *Ideo hæc scribo absens, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem.* Ac deni-

que 1 ad Cor. 4: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Deinde pertinuit ad hanc potestatem posse instituere sacramenta, ut constat Christum et potuisse, et fecisse, ex vulgatis testimoniis Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit;* et Matth. ult.: *Ite, et docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc.; et Matth. 26: *Hoc facite in meam commemorationem;* et Joan. 20: *Quorum remiseritis peccata.* Denique de fide certum est, et in Concil. Trident., sess. 7, definitum, omnia sacramenta a Christo esse instituta. Ratio vero conclusionis est, quia Christus non utcumque est sacerdos, sed excellentissimo et perfectissimo modo, nam est supremus Pontifex, *excelsior cælis factus,* ut dicitur ad Heb. 7; ergo habere debuit supremam excellentiæ potestatem; deinde, quia ratione unionis et infiniti meriti, omnis hæc potestas illi debita erat. Ad quod accommodari potest illud Joan. 13: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus,* id est, quod omnium hominum salus, redemptio, instructio et gubernatio illi commissa erat, ut recte exponunt August., tract. 55 in Joan.; et Cyril., lib. 9 in Joan., c. 3. Nec dissimilia sunt verba Daniel. 7: *Aspiciebam, et ecce quasi filius hominis,* etc.; et infra: *Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.*

2. *Regnum spirituale Christi in Ecclesiam.* — Et ex hac conclusione sequitur (quod illam maxime confirmat) Christum Dominum simul cum summo sacerdotio habuisse regnum spirituale, vel potius de ratione talis sacerdotii fuisse regiam hanc dignitatem et potestatem, de qua Psalm. 2 dictum erat: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus.* Et, ut constet tale regnum esse spirituale, subdit: *Prædicans præceptum ejus;* et infra: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ, reges eos in virga ferrea;* et statim explicat hoc regimen spirituale esse, dicens: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus;* et Isai. 9: *Factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis, super solium David, super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, ut corroboret*

in iudicio et in iustitia; quibus ultimis verbis regnum hoc spirituale fore declaravit, ut sancti expositores adnotarunt. Et Ezech. 21 est optimum de eodem regno testimonium ab illis verbis: *Aufer cidarim, tolle coronam, usque ad illud: Donec veniret cuius est iudicium, et tradam ei; et c. 34: Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem; ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum, ego Dominus locutus sum, et faciam cum eis pactum pacis, etc.* Quod tandem regnum agnovit latro, quando in cruce pendens dixit: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum*, Luc. 23; non enim temporale commodum, sed spirituale remedium postulabat; et ideo, Joan. 18, dixit Christus Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, non est terrenum, neque habens carnalem originem, sed cœleste, et a Deo manans, atque ad ipsum tendens. De hoc denique regno passim fit in Scriptura mentio, præsertim in Psalm. 44, in 109, et apud Isai. frequentissime, præsertim c. 2: *Venite ascendamus ad montem Domini, etc.*; et c. 49: *Dedi te in lucem gentium, etc.*; et c. 60: *Surge, illuminare Jerusalem; sed præcipue præfiguratum est apud Daniel., c. 2, in statua illa quam vidit Nabuchodonosor, et parvo lapide abscisso de monte sine manibus, qui statuum contrivit, et factus est mons magnus, et implevit universam terram, de quo postea subdit: In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur.* Ratio autem, ob quam merito hæc Christi potestas regia appellatur, est illius dignitas et excellentia, quæ plurimis modis superat omnium temporalium regum potestatem et dignitatem. Primo, in fine ejus, qui cœlestis est et sempiternus; deinde in amplitudine, quia non solum terram universam, sed etiam cœlum ipsum amplectitur. Præterea, quia non temporalis est et caduca, sed æterna. Ad hæc, non solum corporibus, sed etiam animis dominatur, eorumque utilitatem et sanctitatem præcipue efficit, unde et ad hunc finem cæteras res omnes sibi subjectas habet. Est ergo potestas hæc regia, et Christus, qui illam habet, verus spiritualis rex, tanto cæteris regibus præstantior, quanto eis prudentia, iustitia, bonitate ac potentia antecellit.

3. *Potestas excellentiæ propria Christi, nec alteri omnino communicabilis.* — Et hinc se-

quitur secundo, hanc potestatem excellentiæ esse propriam et singularem ipsius Christi; sicut enim sacerdotium ejus singulare est, et omnibus aliis superius, ita etiam potestas, quæ illud consecuta est, singularis est et suprema, et ideo potestas excellentiæ appellata est. Unde et actus hujus potestatis a solo Christo fieri potuerunt; solus enim ipse potuit Ecclesiam condere, instituere sacramenta, potestatem dare ad remittenda peccata, et tribunal erigere, in quo peccata in foro animæ dijudicarentur; solus etiam potuit, eo modo quo vellet, absque certis verbis vel signis sanctificare animas, et peccata remittere, ut supra, quæst. 13, late tractatum est. Quocirca, quamvis Vicario et ministris suis quamdam participationem hujus potestatis Christus reliquerit, nemini tamen æqualem potestatem communicavit; sed certa ratione, et modo ab ipso præscripto, quem nullus præter ipsum mutare potest; unde cæteri, ut vicarii seu ministri ejus operantur, ut Paul. dixit, ad Ephes. 4; et ipse præcipue in omnibus operatur, ut Augustinus colligit ex illo Joan.: *Hic est qui baptizat*; ac denique in nomine et virtute ejus sanctificantur sacramenta, et remittuntur peccata juxta illud 1 ad Cor. 1: *Numquid in nomine Pauli baptizati estis?* Itaque, sicut nullum est caput Ecclesiæ, qualis Christus est, ita nulli data est potestas influendi, et regendi Ecclesiam æqualis potestati Christi.

4. *Dubium.* — *Responsio.* — Quod si inquiras an hæc potestas saltem communicari potuerit puræ creaturæ, responsio hujus petenda est ex iis que de gratia capitis diximus; est enim eadem; quoad illos namque effectus, qui non includunt intrinsece respectum ad gratiam unionis, communicari potuit puræ creaturæ, ut ad sanctificandum homines, ad regendum illos, et instituenda sacramenta, ut suo loco dicetur, et similia. At vero quoad aliquos effectus præsertim morales, qui requirunt necessario personam divinam operantem, ut est sanctificare justos ex perfecta iustitia, et ad perfectam æqualitatem pro illis satisfacere, item quoad modum obtinendi hanc potestatem, tanquam sibi propriam et connaturalem, non potuit communicari puræ creaturæ, ut per se constat.

5. *Dubium.* — *Responsio.* — *Potestas excellentiæ quando Christo data.* — Ultimo interrogare potest aliquis quo tempore communicata fuerit Christo homini hæc potestas. Respondetur breviter potestatem ipsam a primo in-

stanti conceptionis fuisse illi datam, nam ex tunc incepit esse sacerdos, et mediator Dei et hominum, et statim cœpit sacrificium Patri pro hominibus offerre; tota enim Christi vita fuit veluti quoddam continuatum sacrificium quod in utero Virginis inchoatum est, et in cruce consummatum; unde (ut supra vidimus) ab illo primo instanti mereri cœpit hominibus, et pro illis satisfacere, et paulo post per hanc potestatem Joannem sanctificavit, et Elisabeth Spiritu Sancto replevit, et Zachariæ donum prophetiæ tribuit, et matrem suam auctiori gratia, et majori prophetiæ dono cumulavit. Denique, cum hæc potestas ratione unionis debita esset, neque ulla esset ratio, vel impedimentum quod ab illa obtinenda retardaret, statim communicata est; usus vero ejus in discursu vitæ pro temporum opportunitate demonstratus est; plenior vero et integra manifestatio ejus post resurrectionem apparuit, ut multi Patres docent, exponentes in hunc sensum verba illa: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.*

SECTIO II.

Utrum Christus ut summus Sacerdos habuerit potestatem ad ferendas leges.

1. In hoc dubio duo errores extremi cavendi sunt. Alter fuit Pelagianorum, Petri Abailardi, et aliorum hæreticorum, qui Christo negarunt proprium munus redemptoris et sanctificatoris nostri, solumque illi tribuebant officium doctoris, et ad summum legislatoris. Contra quos hæreticos satis in superioribus dictum est. Alter est multorum Lutheranorum, qui ita tribuunt Christo officium redemptoris et sanctificatoris nostri, ut fere munus legislatoris negent; dicunt enim legem gratiæ esse legem libertatis, nihilque in ea Christus præcepisse, quod ad salutem necessarium sit, præter solam fidem. Contra quos hæreticos ex professo in materia de legibus, de fide, et de gratia, disserendum est. Nunc breviter, quantum præsens locus postulat, ostendendum est Christum et potestatem, et usum ferendarum legum et spiritualium præceptorum assumpsisse.

2. *Christus legislator mundi.* — Dico ergo primo, Christum Dominum habuisse potestatem jurisdictionis spiritualis ad ferendas leges quibus homines obligaret. Est de fide definita in Concilio Tridentino, sess. 6, can. 21, ubi definitur Christum non solum nobis esse datum in redemptorem, sed etiam in legisla-

torem cui pareamus. Et probatur ex sacra Scripturæ promissionibus, Psalm. 2: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*; et infra: *Reges eos in virga ferrea*, id est, *inflexibili iustitia*, ut exponit August.; Hilarius autem advertit verbum græcum *καυρία*, idem significare, quod pastorum more gubernare, quod inter homines idem est quod regere per doctrinam, et legem, quæ ibi per *virgam* significatur, et quia solidissima et inflexibilis est, *ferrea* dicitur, de qua Psalm. 44: *Virga directionis seu æquitatis, virga regni tui*; unde Isai. 33, de Christo dicitur: *Dominus rex noster, Dominus legislator noster*; et Jerem. 31: *Dabo legem meam in cordibus eorum*, quæ, Matth. 11, *jugum suave* dicitur, ut exponit Cyril. Alexand., lib. 2 ad Regin., sub titulo: *Quod Christus sit Deus, ex Mattheo*; unde etiam constat hæc veritas ex usu hujus potestatis; nam, Joan. 13, dicit ipse Christus: *Mandatum meum do vobis*; et c. 14: *Si diligitis me, mandata mea servate, et qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*; et c. 15: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*; et Matth. ult. inquit: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Idem constat ex illis comminationibus: *Nisi quis renatus fuerit*; Joan. 3: *Et nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, Joan. 6, quæ præceptum necessario involvunt. Ratio vero est, tum quia totum hoc debitum est majestati, et regiæ ac sacerdotali dignitati Christi, quia verus rex habet potestatem ferendi leges, atque adeo et obligandi; tum etiam quia ad finem illius sacerdotii, et ad salutem et bonum nostrum erat hoc etiam necessarium.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — *Differentia inter legem Christi et Moysis.* — Dices: Joan. 1 dicitur: *Lex data per Moysen, gratia autem et veritas per Christum*; indicatur ergo Christum non fuisse legislatorem, sicut Moysen. Respondet Augustinus, toto lib. de Spirit. et lit., unumquodque denominari ab eo quod in illo præcipuum est; lex autem Moysis fuit tantum lex, præcipiebat enim et non juvabat, et ideo nomen legis refinuit; lex vero Christi et præcipit et juvat, imo pauca præcipit, et plurimum gratiæ confert, vel potius, prout ab ipso Christo immediate lata est, nihil præcipit, nisi quod ad gratiam augendam conferre potest, quia in lege nova Christus nulla alia præcepta posuit, nisi fidei et sacramentorum. Et ideo hæc lex, gratiæ nomen obiit, et *jugum suave* vocatur; et a Paulo,

ad Rom. 8, dicitur: *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu, quæ liberat a lege peccati et mortis*. Adde, legem veterem non esse datam a Moyse ut auctore, sed a Deo per Moysen; Christus vero fuit auctor legis gratiæ, quæ per ipsum facta est.

4. *Potestas Christi legislativa nulli creaturæ communicata. — Potestas Christi legislativa excellentissima. —* Dico secundo: hæc potestas legislativa fuit in Christo cum singulari quadam excellentia, cum qua nulli creaturæ communicata est. Est certa, et probatur et explicatur variis modis: primo, ab origine, quia hæc potestas in illo fuit quodammodo divina, erat enim potestas Dei, et a propria dignitate personali manavit. Propter quod, jus per hanc potestatem constitutum, simpliciter divinum est, quia, licet proxime per humanitatem datum sit, tamen ab ipsomet Deo immediate datum est, et per divinam potestatem, et juxta divinæ voluntatis beneplacitum; unde Deuteron. 18 ait Moyses, de Christo loquens: *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies; et infra: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi; qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam*. Secundo, ex perfectione et excellentia præceptorum quæ per hanc potestatem imposita sunt; omnia enim ad internum bonum animæ pertinent, et ad majorem cognitionem Dei, majoremque cum illo conjunctionem, ut latius in materia de sacramentis ostendendum est; de quibus nunc sufficit dictum illud August., lib. 19 contra Faust., c. 13, *nobis data esse sacramenta, seu præcepta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia fieri revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei*. Tertio, per hanc potestatem potuit abrogari lex vetus, etiamsi a Deo data esset, non solum quia, cum Christus esset finis legis, ut dicitur ad Rom. 12, postquam per ipsum completa est, veluti sponte sua evanuit; sed etiam quia, ut dicitur ad Heb. 7, *translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*. De quo videri potest August., toto illo lib. 19 contra Faust., præsertim a cap. 7. Quarto, potestas hæc fuit amplissima in universum orbem, juxta illud: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*, Psalm. 2; et ideo, Marc. ult., ipse præcepit Apostolis: *Euntes*

in mundum universum prædicate, etc.; et Matt. ult. dixerat: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*. Quocirca, sicut, gratia Christi omnibus communicatur, et Ecclesia ejus catholica est et universalis, de se omnes complectens, ita et jurisdictio amplissima est, et lex ejus ad quaslibet personas extenditur, et ad actus tam internos quam externos, et ad omnium virtutum materias, et ad omnes effectus supremæ potestatis, quales sunt dispensare, abrogare, et similes; est enim perfectissima potestas, et divina. Quinto denique (ut ex præcedent. sectione patet), non solum potuit Christus per hanc potestatem leges condere, sed etiam potuit Vicario suo hanc potestatem impartiri, quam illi communicavit, non quidem cum æquali perfectione, tamen cum tota illa, quæ ad perfecte regendam Ecclesiam necessaria fuit, ut latius in proprio loco ostendendum est.

DISPUTATIO XLVIII,

In duas sectiones distributa.

DE TEMPORALI REGNO CHRISTI DOMINI

Disputatio hæc commode præcedentibus adjungitur, quia D. Thomas, in art. 1, Christum regem, sacerdotem, et legislatorem fuisse docuit; et Melchisedech rex simul et sacerdos existens utramque dignitatem in Christo præfiguravit; ut ergo utraque dignitas perfecte maneat explicata, duo a nobis in hac disputatione præstanda sunt. Primum enim videndum est in particulari de regno Judæorum, an ad Christum pertinuerit aliquo proprio et humano titulo. Deinde de universali regno et dominio totius orbis breviter dicendum erit.

SECTIO I.

Utrum Christus hæreditario jure temporale regnum Judæorum obtinuerit.

1. In hac re fuit sententia Armachani, lib. 4 de Quæstionib. Armenor., c. 15 et 16, dicentis Beatam Virginem habuisse jus hæreditarium ad regnum Judæorum, quia linea recta descendebat ex familia David, et deficiente viro, femina in hæreditate succedebat, Numer. 27 et 39; neque enim est cur ab hac generali lege excipiat regina hæreditas, cum neque in tota lege cautum sit, neque femina sit incapax regni, ut per se manifestum est; cum ergo parentes Virginis ex stirpe regia directe descenderint, et alium filium non

habuerint, ad Virginem devoluta est hæreditas, et jus quod ipsi ad regnum habebant; ergo, cum Christus fuerit unicus filius Virginis, in illum transfundendum fuit hoc jus. Quam sententiam confirmat nonnullis Scripturæ testimoniis, Mich. 5: *Et tu Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim oriatur dux, qui regat populum meum Israël*; et Jerem. 53: *Suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit, etc.*, et aliis similibus, quibus supra probavimus Christum esse regem. Confirmat secundo, quia pueri Hebræorum cantabant Christo: *Benedictus Rex, qui venit in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum patris nostri, David*, Marc. 11, Luc. 19; quas voces Christus non cohibuit, sed potius probavit, sicut Pilato interroganti Matth. 27: *Tu es rex Judæorum?* quamvis ipse de regno temporali interrogaret, Christus annuendo respondit: *Tu dicis*; unde, Matth. 17, Petro dixit Christus se esse liberum ab obligatione solvendi tributum, tanquam filium regis ad quem regnum pertinebat. Ultimo confirmari potest ex 1 Mach. 14, ubi, cum senatus et principes Judæorum Simonem Machabæum, ejusque successores, in ducem et principem sacerdotum elegissent, ut perpetuo ea dignitas in illa familia duraret, exceptionem addiderunt: *Donec surgat Propheta fidelis, ille scilicet Propheta, de quo Moyses prædixerat: Prophetam sicut me, etc.*, Deuteron. 18, id est, usque ad adventum Messiæ, quia certo credebant Messiam futurum esse verum regem, et hæredem illius regni. Addit tamen hic auctor, quamvis Christus jure suo potuerit hoc regnum obtinere, illud tamen repudiasset, ac omnino renuntiasset, paupertatem præferentem temporali regno; et ita inquit hoc jus non solum non minuere perfectionem Christi, sed potius ad eam magis demonstrandam conferre, quia ea bona temporalia, quæ multis titulis habere poterat, contempsit.

2. Dicendum nihilominus est primo, certum esse Christum non fuisse de facto regem temporalem Judæorum. Hoc certum est, ut constat ex toto discursu Evangelii, et ex Joan. 6, ubi cum eum vellent facere regem, abscondit se. Hoc etiam constat, quia ipso vivente fuerunt alii reges Judæorum, si non jure, saltem facto; unde colligitur ipsum non habuisse usum, seu actuale regimen temporale illius regni. Quod vero neque proprium dominium aut proprietatem habuerit, patet, quia neque per electionem hominum habuit,

ut per se constat, neque jure hæreditario, quia illud non habuit, ut statim dicam; tum quia, licet habiturus fuisset, tamen vivente matre, in illa dominium et proprietas permanisset.

3. *Christus non habuit jus hæreditarium ad regnum temporale Judæorum.* — Dico secundo: Christus Dominus nullum jus humanum seu hæreditarium habuit ad temporale regnum Judæorum, ratione carnalis originis ex familia David. Hæc est sententia communis, pro qua multa congerit ex Patribus Walden., lib. 2 Doctrinal. fid. antiq., cap. 76 et 77; eandem defendunt Victoria, Scot. et alii, sect. sequenti referendi. Et probatur primo, quia existimare, regnum in sacra Scriptura Messiæ promissum, futurum fuisse temporale, Judaicum redolet sensum, ad quem excludendum Scriptura fere semper variis modis ostendit regnum illud esse spirituale, et ad bonum animæ pertinens, et non contineri intra terminos Judææ, sed per universum mundum extendi, et non fuisse futurum super carnales Israelitas, sed super spirituales filios Abrahæ secundum fidem, ut in epist. ad Romanos latius Paulus prosequitur, et optime Augustinus demonstrat, lib. 17 de Civit., cap. 6, 7, et sequentib., tract. 51 in Joan., et ex adductis in præcedenti quæstione satis constat. Denique Scriptura non dicit habiturum jus ad regnum, sed vere regnaturum, et futurum regem, quæ non possunt vera esse de illo temporali regno; non ergo de illo Scriptura loquitur. Secundo, probatur ratione in Scriptura fundata, quia regnum David jam prius cessaverat, et successio fuerat interrupta, ut constat ex Jerem. 22, ubi de Jechochia dicitur: *Non erit de semine ejus, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda*; ubi advertit Hieronymus hoc esse intelligendum de solio David, quantum ad temporale regnum, nam quantum ad spirituale et æternum, Christus postea sedit in throno David, sicut Angelus Mariæ prædixit Luc. 1. Quod etiam notavit Ambros., lib. 3 super Lucam. De qua re multa diximus supra, disp. 1 hujus materiæ, tractantes locum illum Genes. 49: *Non auferetur sceptrum de Juda*. Et confirmari potest hæc ratio ex loco illo 1 Machabæ. 14, ubi cum jam regnum Judæorum cessasset, et ducatus etiam extinctus esset, seu translatus a tribu Juda, totus Judæorum populus ex communi consensu constituit sibi ducem et summum sacerdotem Simonem Machabæum, ut in eo et posteritate